



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLII [i. e. XLII]. Suis cura ingenti præsertim agrotis Ignatius prospicit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

fuisse, quodque in regendis religiosis hominibus, singulariter nostris, omnino est necessarium. [Societas Iesu, scribit quadam sua Epistola Franciscus Xaverius, Societas amoris, & concordiae est, à qua omnis inclementia, & feruilis merus, quàm longissimè exulant] dixerat vero paulò ante, Rectorem timeri magis cupidum, quàm amari, & asperitate domina potius, quam paterna teneritudine regnantem, paucos consciturum Societati tirones, plurimos desertores. Quanta splenderet mirabilitate in Ignatio hoc decus plus satis affirmant quæ nonnulli ex primis Partibus diu experti scripsere, totum nempe fuisse ex caritate & amore concretum; occurrentibus nostris eam explicuisse frontem, ea verba dixisse, vt excipere illos intra pectoris sinum videretur; Patrem filiis, quàm Ignatium suis, cariorem vnquam fuisse neminem: neminem in Societate, iam tum late diffusa extitisse, præter vnum (mihi profus ignotum) qui non totis visceribus afficeretur erga illum; neminem quin sibi quidlibet tolerabilius duceret, quàm longè ab eo disungi. Nec ista in nostros paterni amoris testificatio ad præsentem solum, & domi agentes pertinebat, sed æquè ad longè distitos, & vno complexu, filiorum cuique parem affectum diuidebat, de iis eius sermo patrem spirabat amantissimum; illorum ærumnis, inopia, laborum molestiis, vexationibus frangebatur; commendabat illos Deo assiduis precibus, & multa profusione lacrymarum; solabatur etiam quandoque beneuolis, & paraneticis literis, quibus nullum iis iucundius poterat perpeffionum præmium venire. Sic anno 1555. nostrorum in Gallia nonnullos, insectatione clericorum acerrima laborantes solatus est, tantumque iis addidit animorum, vt mori præoptarint, quàm statione abscedere in qua proximorum saluti militabant. Dedit quoque ad Salmeronem consolatorias ex nimia fatigatione Patuij ægrotum, quibus maiorem in modum recreatus, vt primum potuit, responsum hoc reddidit [Ex R. V. literis perspexi, quo animi sensu ex hac mea ægrotatione affecta sit agnosco re ipsa, paterni pectoris amorem & viscera, quibus altè inscriptos nos gerit, certòque mihi hoc persuadeo, eius potissimum impetratu factum quod neque medici, nec eorum pharmaca confecissent. Addat gratiæ huic Deus, in pauperes suos semper beneficus, vt tanto amor non parè respondeam quo R. V. nostrum omnium verus pater, consolatur nos omnes & subleuat.]

Sedenim fructus paternæ in suos caritatis, minime omnium placidi aspectus sterili specie, aut vna verborum, & Epistolarum comitate circumscribent Ignatius, vbicumque spes affulgeret posse illis humana diligentia succuri, nihil omittebat quo illis adesset, eamque ob causam, sanus ægrotusve quis foret, nolebat quenquam sibi vlò modo esse sollicitum, & siue tuendæ, seu refocillandæ valetudini aliunde, quàm à se subsidia quærere, quæ profusissima accuratatione omnibus suggerebat; haudquamquam expectans dum ea peterentur, sed petendi pudorem prouisione, ac liberalitate anteuertens. Ne quæ vero, mente exciderent, adnotabat ea

M n

diligenter,

XLIII.

Suis cura in-
geni præfer-
tim ægrotis
Ignatius profe-
picit.

diligenter, obseruatúsque est cum ad discutiendam negotiorum turbam, quibus Præpositi officium premitur, aliis alia crederet, quod suorum necessariis deesset, hoc solum peculiariter animo tenuisse, priorque vltro ministris vt prouiderent in memoriam reuocasse. Nemo itineri se dabat, quin pridie quam domo exiret, illi se susteret, vbi coram minutim perlustrabat, ecquid ei deesset recularum, quæ viatori pauperi conducunt. Nemo discrimen incurrebat, quin præsens vel abiens sollicita opera opitularetur laboranti. Roman ex Creta vbi Philosophiam docuerat, vocatus ab sancto nauigabat Ioannes Guttanus natione Gallus, vir doctus, & pius. Hunc fera tempestas in oras Siciliæ proiecit, inde Saraceni captum in Africam deportarunt, quod eo dolore sanctum patrem confixit, vt captiuum optaret sui venditione redimere: Siciliæ proregem sui peramantem, statim supplicibus literis conuenit; Patribus illic degentibus mandauit, ne cui aut operæ, aut sumptibus parcerent ad restituendam captiuo libertatem; ac ne quid eorum prætermitteretur, quod censebat ab ipsis præstari oportere, Messanensi, & Panormitano Rectoribus religione Obedientiæ præcepit, in hebdomadas ad se perscriberent quicquid in eo negotio egissent. Sed Deo visum compendiosius, coronare patientiam boni Patris, quam consolari mœrorem S. Ignatij, prius enim catena seruitutis, simul & corporis, est exemptus quam transigeretur de illo redimendo. Sed hæc in filios communis Ignatij caritas, præcipua fuit aduersus ægrotos. Voluit in die moneri sapius qui haberent; quicquid à medicis quantumlibet minimum iis præscriberetur, ab curatoribus valetudinis exegit an esset ad vnguem, plenèque seruatum, nec impunè iis esse passus est si quid neglectius curassent. Inter alia minister domus, & valetudinarij custos, obliti cum essent, medicum ægrotto per tempus accersere, vtrumque de media nocte iussit medicum quærere, nec domum nisi cum medico redire, quem cum horæ importunitate prohiberentur inuenire, coacti sunt quod noctis supererat in nosocomio subsistere. Ad ea vero quibus opus esset, nullam duxit sumptuum rationem. Laici adiutores duo Gallus alter, & alter Hispanus, vix tyrocinium intrarant, cum morbo vterque correptus est, ægrotabant domi alij complures, & iacentibus cubicula deerant; præter rem adeo angustam vt tam multos ægerrimè aleret; hic fuit qui sancto suggereret de iis duobus in nosocomium, dum conualescerent mittendis. Hoc vero, minime gentium, respondit, nec sinat Deus domi nostræ iis locum deesse, qui se propter Deum, domo, & mundo abdicarunt. Conquirantur omnino iis necessaria, Deus vice versa, nobis quoque per ipsos necessaria videbit: alium quoque adiutorem cibo instaurandum edixerat medicus paulo cariore, tres Ignatio iulios, protulit dispensator, quos vnos haberet ad victum illius diei toti domui coëmendum. At ille, conferantur sanè infirmo refouendo, nos qui rectè valemus, puro pane facile defungemur. Alias eandem ob causam, quod aliundè argentum deesset, catillos stanneos vendi iussit, & partem suppellectilis domesticæ tenuis; cuidam etiam atra bili

ex morbi insolentia consternato iussit interdum adesse nouitios, qui musicè norant, eumque piis cantibus recreare. Sed præter hanc erga ægros caritatem effusam, & sedulam, quæ illorum non modo corporibus, sed maximè animis incredibile fuit morbi, & ægritudinis leuament; aderat iis ipse per sese, ac dulci de rebus diuinis alloquio iucundè solabatur; valetudo si ingrauesceret, aut missus esset sanguis, noctu bis, terue tacitè inuisebat, ne solutis motu fasciis vena sanguini laxaretur, aut quid aliud triste incideret. Demum afflicta sanitate, viribùsque prostratis, Præpositi onus, & publicas curas cum omnes in Vicarium transferret, vnam sibi pro ægrotis seposuit, sæpenumero professus, multum se Deo propterea debere, quod se multiplicis miseræ perpeffionibus docuisset alios miserari, & ex incommodis propriis, dedicisset mederi alienis. Vt autem valentes omni officio adesse iacentibus omnique beneuolentia volebat; sic istos patientiæ documenta, subiectique Deo animi de seipsis præbere; ac si quem sui nimium amantem, fastidia querula abalienarent à medico, & obsequiis curatoris, dissimulare tunc quidem lentius, & blanda partim admonitione, partim indulgendo commotum sedare: at postquam bellè iam conualuisset, demum partes æquare rationum, & pro culpæ modo peccatam iniungere. Verum si quem nauseabundi ingenij, & communi grauem, morbus Dei satelles inuaderet, crudiores affectus domiturus, vt cicuratur fustibus animantes; futuri boni spem præsentis labori anteferens, aliquanto quàm consueuisset in alios, suam in illum caritatem cunctantius depromebat, & hoc sacri vatis Deo pro ipsis iterabat, *Contere brachium peccatoris.*

Hanc Ignatius suorum corporibus ægrotantium tribuebat curam; sequitur qua ille animos, quam efficaci atque industriâ, quanto prudentiæ, & amoris temperamento, tum sanos tueretur, tum ægros sanaret; nullum enim amauit ita delicatè, vt indulgeret aliquid roganti, si longè prouidus nociturum ipsi prospiceret, vel exemplo aliis non bono futurum. Scimus, Bobadilla vnus ex nouem ipsius sociis, repulsam cuiusmodi ab eo tulerit. Petebat angustum cubiculum, ampliori mutare, & commodiori; id quia cæteris viam quandam sternebat ad eludenda paupertatis incommoda, significari illi iussit Ignatius, quin imò eius cubiculi quod sibi dicebat angustius, in partem vnam secederet, locumque duobus relinqueret quos illi quamprimum contubernales dare decreuisset. Libenter facturum Bobadilla respondit, & religiosè dicto stetit. Quibus tamen virtutis nondum esset supellex valde ampla, repulsam ita condiebat, vt negatis, potius quàm si forent concessa gauderent: tantum aberat ex ea vt amaritiæ aliquid referrent: nempe sicca non erat, magisque ad potestatis specimen, quàm ad necessitatem iniuncti muneris comparata, qualem incauti perperam vsurpant. Dabat rei negata rationes tam explicitas, & apertas, vt intercessores, persuasi omnino se contra rem illorum agere à quibus adhibiti fuerant, suam culpam incogitantiam, & conuersis in illos rationibus viri

XLIII.

Ignatij caritas in curandis suorum animis.